



tis, ea in germanicam transferre linguam noluerit, ne ignominiae apud rudiores nimiae essem expositus. Ego vero hoc famae meae periculum non metuo, ego, qui non laudes hominum, sed Dei, et Seruatoris mei, cuius minister sum, quaero. In hoc vnicum laboro, in id solum tendunt studia mea, vt in ministerio Iesu Christi fidelis deprehendar. Mundo enim, eiusque vanitatibus, et maximorum virorum encomiis facilis renuntiaui. Ecquid etiam in his exprobrationibus famae meae periculum erit? Nosti Ipse, sagacissime *Quirine*, pro ea, qua polles iudicandi hominum animos prudentia, nullum virum honestum, nedum christianum adcusationibus, vel durioribus conuiciis moueri, sed rem ipsam attendere, vnde hae obiurgationes ortae sunt. Horumne vero commutabis, quam de me fouent, sententiam? Aliamne his viris mentem (nam a talibus iudicari cupio) induces? Omnino superauit expectationem nostram, non diffiteor, illud scribendi genus, quo tantus praeful Italus vsus est, quem Romanensibus suis, vti virtutis, sic et vrbauitatis humanitatisque exemplum esse debuisse, nostri crediderunt. Transferibam huc, Tua pace, verba, quae iste scriptor supra adductus mihi obiecit, germanice tamen legi noluit. Num ex animo illud fecerit, an vero, vt sales, qui Romano-Catholicis Germanis persaepe familiares sunt, augeret, iudicare nolo. Amor meliora sperare solet. Verba, quae ex Tuo libro adduxit, haec sunt:

„Diu, multumque cogitauit, quaenam ineunda foret a me ratio pro
 „exsequenda, quam pollicitus sum in fronte huius operis, confutatio-
 „ne *scelestissimi* libelli Helmstadii lingua Germanica aduersus Iubilaeum,
 „a Benedicto XIV. indictum. Ea est (epistola dogmatica Pauli III.)
 „quam ante biennium Clariss. Goettingensis Academiae Professore in-
 „scripsi. Valet quippe ipsa vel ex se sola ad refellenda quaecumque
 „conuicia potius, quam argumenta, quae libelli istius auctor ERNESTVS
 „AVGVSTVS BERTLINGS in Romanam Ecclesiam, eiusque Praesidem
 „Benedictum *evomuit*, vt *asseclas* suos ad contemnendam, odioque ha-
 „bendam Iubilaei Religionem excitaret. *Improbis scriptoris illius furor*
 „totus eo tendit, vt eidem Ecclesiae labem impingat, bonorum ope-
 „rum merita adeo extollendi, vt vel ipsis meritis Christi exaequentur.
 „*Iniquissimam hanc calumniam* an apertissime et funditus euertat epistola,
 „quam dixi, satis superque tibi, lector, constabit, dummodo aequum
 „animum afferas in iis perlegendis, quae statim oculis tuis subiicio.
 „Auditores suos in hunc modum alloqui coepit perfidus ille calumnia-
 „tor „ etc.

Refu-